



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De gratia in nocte Paschali, & prophetia mortis eius. XXV

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](#)

380 DE VITA LIDEVVICIS VIRGINIS  
altera die summo manè admonitus est idem Prior à domino Io-  
anne confessore virginis, ut intraret cellam eius, si quid gratia  
spiritualis circa eam vellet experiri.

3. Cùm ergo cellam eius intrasset, tantam odoris suauissimi  
fragrantiam in ea persensit, quam virgo tunc à Domino visitata,  
& ad loca cælestia pèrducta reportauerat; quasi in eadem cella  
diuersæ species aromaticæ repositæ fuissent. Post mutuum igitur  
diuinumque colloquium de his propter quæ Priorem vocauerat,  
admonuit eum, ut in festis Paschalibus ad eam rediret, ad conse-  
rendum adhuc de ijsdem melius prout Dominus donauerit. Quòd  
si eam nō inueniret, quòd tunc ex charitate pro ea oraret. Ex qui-  
bus verbis liquidò patet, hoc eam de morte sua dixisse, licet mes-  
tionem mortis non expresserit.

## CAPVT XXV.

*De gratia in nocte Paschali, & prophetia mortis eius..*

1. A Dueniente autem solemnitate Paschali, in ipsa sacra Domi-  
nicæ Resurrectionis nocte, circa horam quartam diluculo  
illucescente, prædictus dominus Iohannes confessor eius, ad in-  
uisendam virginem accessit: qui tam ex odore manuum eius,  
quam ex verbis ipsius clarè percepit, quòd more solito, ab Ange-  
lo sancto visitata fuerat. Tantam enim suavitatem apud eum  
sentiebat, quòd putabatur diuersorum aromatum vnguentis  
peruncta. Super quo, cùm ille ei congratulans Domino gratias  
ageret, ipsa ad se post habitam visitationem reuersa, fatebatur se  
diuinitus consolatam: pœnas tamen grauissimas sibi instare af-  
ferebat, quas per eadem festa passura erat.

2. Dicebat quoque se in eadem nocte audisse, in cælestibus  
alleluia cantari: atque sperabat, quòd idem canticum alleluia,  
cum cælestibus spiritibus breuiter in maiori gaudio & consola-  
tione esset canturā: leuius quoque se habituram ab illis grā-  
uaminibus, si festa Paschalia transiissent. Quod de mortis exitu  
dixisse videtur, quamvis breuiter se morituram non indicabat.  
Singulis tamen diebus, scilicet ipso sancto die Paschæ cum duo-  
bus sequentibus, dicebat aduentantibus: quòd pœnæ, quas pa-  
tiebatur, non essent diu duraturæ, sicut postea rei probauit  
eventus.